

ANTIQUITAS MINORVM CON. VENTVALIVM

In

1636.

MAGNO DVCATV LITHVANIAE.

Eiusq; à Prouincia Poloniæ, & Russiae inde-
pendentia. Vna cum Rationibus eorum, qui nunc
in eo sunt Conuentum in suam Prouin-
ciam restituendorum.

Authore F. IACOBO FRANCISCO DUVSKI
S. Th. Magistro. Vicario Lithuaniae Custode &
Guardiano Vilnensi. Ordin: S. FRANCISCI
Minorum Conuen:

CVM LICENTIA SUPERIORVM

Entus



Officinæ

VILNAE,
Typis Franciscanis. 1671.

EMINENTISSIMIS & REVERENDISSIMIS
Patribus ac Dominis
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIAE,
SVPER NEGOTIA EPISCOPORVM,
&
REGULARIVM PRÆPOSITIS
CARDINALIBVS,
Dominis & Patronissuis Clementissimis.

AD Tribunal Vestrum, EMINEN-
TISSIMI PATRES ac DO-
MINI, quod Orbis adorat, nos se-
stimus; causam institutionis Prouinciae
Lithuaniae Ordinis Nostri, humiliter
proponentes. Quam ut EMI-
NENTISSIMÆ CELSITUDINES
VESTRAE, iustum & summè necessariam esse
videant, has rationes quæ nos ad constituendam unam
separatam Prouinciam Lithuaniae adigunt, submissis-
sime offerimus. Instantissimè deprecantes, ut aut ex
urbe Commissarios ad has usq; oras in hoc negotio cum
plenissima facultate transmittere, aut hæc Reueren-
dissimo

dissimo Administratori sede vacante Episcopatus Vil-
nensis NICOLAO SLVPSKI Viro integerri-
mo, aut Cui magis libuerit, eandem demandare, fa-
ciant. Dignentur EMINENTISSIMÆ
CELSITUDINES vestræ nos ipsos, & causam
nostram benigno vulnu intueri. Quos Deus O. M.
quam diutissime ad laudem sui Nominis, & S. Ec-
clesia utilitatem feliciter conseruet. Datum Vil-
na ad S. Mariam in Arenis. Die 3. Iulii
Anno Domini 1671.

Eminentissimatum

Celsitudinum

Vestrarum

Subiectissimi

Fr. Jacobus Fran: Dluski. Vicarius Lithua-
niæ Custos & Guardianus Vilnensis.

Fr. Franciscus Obrynski Pater Provinciæ
Lithuanie.

Fr. Martianus Michałowski Diffinitor Vilnen-
sis & Regens Studii.

Fr. Gregorius Boniecki Custos & Guardi-
anus Cauñensis.

Nos omnes & singuli nostro & omnium Fra-
trum Provinciæ Lithuanie nomine,

A Primæua introductione Ordinis S. Francisci in partes has septentrionales viuente adhuc Patriarcha nostro , tres successu temporis instituti sunt Vicariatus ; videlicet Poloniæ, Russiæ, & Lithuaniae ; ita inter se se disticti & independentes ab alterutrum , vt immediatè ad solum Ministrum Generalem spectauerint totaliter . Crescente postea numero Fratrum & Conuentuum in omnibus hisce Prouinciis , Constituta est Prouincia Poloniæ, remanentibus reliquis duobus Vicariatibus cum suis titulis. Deinde multiplicatis sufficienter Conuentibus. Instituta est Prouincia Russiæ, distincta a Polonia. remanente solum Vicariatu Lithuaniae cum suo titulo, vt patet ex sigillo quod ab antiquo talem retinet inscriptionem. (Sigillum Vicariatus Lithuaniae). Cùm igitur Magnus Ducatus Lithuaniae sufficientes modò iam habeat Conuentus , & antehac erat independens ab illa Prouincia , (licet modò ab aliquot annis sub regimine Prouincialis Russiæ existat) Petit & supplicat vt in suam quoq; instituatur Prouinciam, propter sequentes rationes.

Prima Ratio

PRIMA ergo & principalis est ratio. Utilitas Ecclesie Dei, & salus animarum. Nam remotores huius Magni Ducatus Prouincie ut Samogitia, Curlandia, Liuonia, Filandia, Lotouia, Igouia, Ducalis Prussia &c. &c. (quarum unaquæque suâ amplitudine adæquat Ducatum Venetum) aliquando Catholicæ, nuas desolatae iacent, & tam Ecclesiis quam Sacerdotibus Catholicis destitutæ, & partim heresi, partim veteri illo Genti-

Gentilismo (rudeior præsertim populus) detinentur; quæ tamen deserendæ non sunt. Non aliâ autem ratione illis subueniri potest, quám si Fratres Nationis Lithuaniae illò se conferant & inter ipsas habitent, qui nedum lingua, verum etiam in omnibus, indigenatu, vel melius sanguine cum illis conueniunt. Non possunt autem Fratres isti illis se inferre Gentibus, nisi à Prouincia Russiæ separantur: Tum quod per eam dispersi, & distracti, tam indigentia Conuentuum, quám aliquo humano affectu ductore. Tum quod Prouincia Russiæ loca vltro à magnatibus oblata in quibus Fratres Natiui manerent ad propagationem fidei apti, viciniora illis Gentibus semper respuit; partim ob eorum nimiam distantiam; partim, ob itinerum ad eas difficultatem, partim ob linguae ut ita dicam, nescientiam & ignorationem; partim etiam quod non lubet à suis auelli longius, & incognitis immisceri gentibus.

Secunda. Ratio,

VTilitas Ordinis. Sic enim & Fratres, & Couentus, & Prouinciæ multiplicantur. Ut patet in Prouincia Fratrum S. Dominici in Lithuania, & Nostra in Russia quæ cum paucis Conuentibus à Prouincia Poloniæ abiit, nunc parem cum illa Conuentuum habet numerum, & quidem magno commodo Ecclesiæ. Nec multiplicantur tantum, sed proficiunt, & magna sui incrementa sumunt, tam in subiectis & promotionibus, quám prouentibus, Aedificiis, Ornamentis, ac omni aliâ re. Per naturam enim nostram ita sumus compositi, ut nobis ipsis relieti, nostra curemus & celerimè, & optimè, ubi præsertim virget æmula in bonum contentio. Nec, flegi

fieri potest vt alii curent nostra melius quám nos ipsi.
Hinc enim & Ecclesia cùm melius præficiendum statuit
Ecclesiis, qui sit de earum gremio, eò quòd is consue-
uit vt in pluribus esse utile quantūm ad bonum com-
mune, quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus.
Quamobrem & Deus ipse mandauerat Deut: 17. Non
poterit (inquit) alterius Generis hominem facere Re-
gem, qui non sit Frater tuus.

Tertia Ratio.

VAstitas Magni Ducatus Lithuaniae & Regni Poloniae:
Nam duæ hæ terræ, perinde se in sua mole habent
atq; omnes istæ simul, Silesia, Morauia, Saxonia, Ty-
rolis, Austria, Styria, omnisq; Italia vñq; ad fines Sici-
lie, in quibus cum innumeræ sint Prouinciae, quid est
quòd illæ tres saltem pro nunc haberi non debeant? Po-
loniae videlicet, Russie, quas iam diu habet, & Lithuaniae,
quam nunc exsuscitari humiliter petimus?

Quarta Ratio.

Ipsius Prouinciae vastitas, & tam longè à se disti Con-
uentus vt eis regendis vñus Prouincialis omnino non
sufficiat. Cùm enim ad vnam partem Prouinciae se trans-
ferunt Prouinciales, alia manet deserta penitus, fitq; sœ-
pius, vt toto Prouincialatum suorum triennio, in mul-
tis Conuentibus ne pedem quidem vel semel ponant,
tam ob nimiam eorum distantiam, quám ob viarum fa-
stidia & incommodates: in aliis verò raptim se expedi-
unt ad alios Properando cum magno detramento & Con-
uentuum, & Regularis obsecrantia, cùm noa sit qui
in eam eo absente possit aduertere. Taceo discursus, &
assiduas Erum diuagationes, collocationes, discollocationes
cen-

rum, alii ducentorum milliarium peragrationes, ita ut
vix per medium annum vel amplius Frater ad Continen-
tum suæ residentiae perueniat. Cui soli malo ut obui-
am iret Italia, in septem se diuisit Prouincias.

Quinta Ratio.

REspectus Magni Ducatus Lithuaniae. Nam si Russiæ licuit suam habere Prouinciam, quidni licea
habere suam & Lithuaniae, quæ decuplo maior est quam
omnis Russia, & multò illâ dignior ac præstantior utpote
ipsa solum ex omnibus in Regno Ducatibus ipsi con-
diuisa Regno, habeatq; se ad illud, quasi Regnum ad
aliud ? quid Regno : imo Orbi coadiuisa. Tres enim
non plures in Orbe numerantur Magni Ducatus, scilicet
Hetruriæ, Moschouiae, & Lithuaniae. Si ergo Russiæ
concedi potuit sua Prouincia, quidni concedi possit Li-
thuaniae ? quæ Conuentuum numero adæquat modò, &
jam dudum superaret Russiam si per se staret diuisa.

Sexta Ratio.

PAx & quies Prouinciae. Nam Patres Prouinciae Rus-
siæ sentiunt se grauari, si quando contingat non in
Lithuania, sed in limitibus duntaxat eius Capitulum
Prouinciale celebrari, eo quia longitudiae itinerum de-
fatigantur, & sumptus impendunt magnos. Si ergo isti
moleste ferunt tam longa itinera, quanto magis nos qui
semper ad Capitula & Convocationes totam Lithuaniae
& Russiam peragrare propter Capitulum debemus
quanto maiora incomoda, & maiores sumptus ferre
debemus, qui centum quinquaginta aliquando plura
millaria nostra longissima partes Russiæ adeundo pera-
gramus ? Quod incommodum facile evitabunt, si qui
grauan-

grauans separabuntur ab his qui se grauatos sentiunt, vno
verbo si Natio Lithuaniz separabitur a Prouincia Russiae
sicut fecerant Abraham & Lot. Gen: 13. Ne quæsto, in-
quit Abraham, sit iurgium inter me & te, Fratres enim
sumus. Ecce vniuersa terra coram te est. Recede a me
obsecro. Vniuersa Lithuania cum adiunctis tot Prouin-
ciis coram nobis est, habemus ubi dilatemos Fidem
Christi, & seminemus Verbum Euangelii sicut anteces-
sores nostri fecerant qui primi Apostoli Lithuania illuc
primum fidem S. plantauerunt, quæ usq; hodie felicissi-
mè propagatur, quam suo per Martyrium Vilnae san-
guine rigauerunt. Vniuersa Russia cum adiacentibus
Prouinciis est coram Patribus Russiæ, habent & illi ubi
dilatent S. Religionem. Quid ergo obstat quominus
recedamus a se invicem?

Septima Ratio.

VTilitas & commodum Prouinciae Lithuaniae. Nam
Conuentus Lithuaniae omnes, pro libitu Prouincia-
lum Russiæ spoliantur Auro Argento omniq; supelle-
ctili Ecclesiasticâ sub pallio charitatis ante hostilitatem
multa enim talenta argenti, & auri gemmarumq; copia
aspportata fuerunt ex Lithuania in Russiam per Patres
Prouinciales Russiæ, vna cum multis appara-
mentis Ecclesiarum gemmis & auro textis, quorum pars
conflata per Patres Russiæ, pars vendita ad proprios
usus, pars distracta hinc inde furtuo modo in quadam
turbatione inter dictos Patres, pars vero continuo usu in
Ecclesiis Russiæ consumpta, ita ut conuentus Lithuaniae
modò totaliter desolati & expoliati omni ornamen-
to maneat. Sed ista charitas non erat Prouinciae Li-
thuaniae

lithuanicæ necessaria; quia omnes Regulares & seculares
suarum Ecclesiarum ornamenta in integro conseruauem-
runt in Prussia adiacente & vicina, absq; eo quod de-
serantur extra Lithuaniam Si ergo Prouincia Lithua-
nicæ manebit sibi relata, diligentius proculdubio con-
gregabit & conseruabit sua, quam aliquis alias, qui
Custodit rem alienam, ut lupus ouem.

Octava Ratio.

INutilitas aliorum in Lithuania præter Fratres Lithua-
nios, cùm enim alii sermonem harum Gentium nesci-
unt, quem fructum in eis facere possunt? Nullum. Si-
cūt & quo commodo Lithuania Patres sparguntur per
Russiam? nullo. Quid ergo necesse est simul esse? Ni-
hil certe.

Nona Ratio.

DAMNA Conuentuum Lithuaniae ex administratione
Patrum Prouinciae Russie, emergentia. Quia Patres
Russie ut plurimum præficiuntur Conuentibus Lithuaniae,
qui scientes se, post annum, vel biennium, aut (ut
sepe fit) post medium annum migraturos, certè sua
potius querunt, quomodo cum bona prouisione profi-
ciscantur, non quæ IESV Christi, ut praxi continuâ
comprobatur. Si autem natiui, aut saltē huius Pro-
uinciae Patres, Conuentuum Guardiani elegantur, dili-
gentissimi profecto boni communis promotores efficien-
tur. & si quæ negligentia in aliquo reperta fuerit facile
a Prouinciali suo, qui semper assiduus in Prouincia sua
manebit, corrigetur, & sic & cultus Diuinus promo-
uebitur, & tot scandalis quæ per absentiam Prouincia-
lium, fiunt, obuiabitur, & Conuentus in bono ordime-

cre-

crescent, & inde ædificatis benefactoribus, multiplicabuntur, ut videre est in Prouincia Lithuaniae recens constituta Ordinis Prædicatorum.

Decima Ratio.

Necessitas Prouinciae Lithuaniae. Nam tamen Conuentus Lithuaniae debebunt aliquando diuidi à Prouincia Russiae & in separatam ac exdiuisam ab Russia constitui & promoueri Prouinciam Lithuaniae cùm omnino sit necessaria ista Prouincia; quodsi aliquando, quare non modò? cùm ad vteriores illas & desolatas Prouincias, pace cum Suecis & Moschis florente, aperiatur campus. Omnes Lithuaniae Proceres, Principes, & Senatores, suam apud se Ordinis Minorum Conuentualium optent & cupiant Prouinciam, & ut fiat regant, & adiuucent, ad instar Prouinciae Ordinis Prædicatorum; Fratres etiam expectant ac procurent. Princeps ab instituenda non abhorreat, imò promoueat. Petimus igitur eam institui pro maiore gloria Dei, & salute animarum.

Vndecima Ratio.

Indemnitas Prouinciae Russiae. Nam non attenuabitur Prouincia Russiae, si Conuentus Lithuaniae quibus modò præest, cedat Prouincia Lithuaniae. Habet enim extra Lithuaniae, in ipsa sua Russia Octodecim Conuentus, totidemq; Lithuania & plures indies sperat, & habere potest, prout & Prouincia Lithuaniae, sibi relictæ,

Duodecima Ratio. 113

Fastidium duræ seruitutis. Omnis enim contendit abiicere onus graue, & intollerabile, Sed Russia non abiicit

abiicit sed allicit Lithuaniam, ergo apparet quod ab illa
multum habeat emolumenti, cum detimento illius.
Cum ergo Lithuania tam submissa postulet a Prouincia
Russiae diuidi & in suam institui Prouinciam, euiden-
tissime constat, multum esse grauatam a Russia, ac pro-
inde excusso iugo seruitutis, postulat reduci ad Liber-
tatem illam quam Christus nos liberauit.

Detima tercia Ratio.

NVlla ad oppositum ratio. Nulla enim dari potest
ratio, ob quam Conuentus Lithuaniae non debeant
in suam euehi Prouinciam, vnde nec pars contraria
potest adferre aliquam. Si qui motus timentur &
scandala, communis est haec istorum ratio, at vana, eosq;
magis quam nos petit. Desistant illi se nobis oppo-
nere, siinant nos a se abire liberè, & nulli motus nul-
la erunt scandala.

Plures adduceremus si nunc necessarias esse videre-
mus, adducturi tamen, si coget necessitas,
Suo ergo loco cæteras, suo tempori, suæ scruta-
mus necessitati, hæ satis sunt pro iusti-
tia & æquitate.

